DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA
DE
H E R P E T E

QUAM
CONSENSU GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

P R A E S I D E

CAROLO FERDINANDO GRAEFE

MEDICIN. ET CHIRURG. DOCTORE, PROFESSORE CHIRURG. IN UNIVERSITATE LITT. BEROLINENS. PUBLIC. ORDINARIO, REGI BORUSS. A CONSILIIS INTIMIS, ORDINIS CRUCIS FERREAE EQUITE, LEGIONIS HONOR. DECURIONE, ORDINIS RUSSICI ST. ANNAE IN CLASSE SECUNDA, SUECICI WASANI, RUSSICI ST. WLADIMIRI IN CLASSE QUARTA EQUITE, INSTITUTI REG. CHIRURGICO-CLINICI DIRECTORE, PROFESS. ORDINAR. IN REGIA ACADEMIA MILITARI MEDICO-CHIRURGICA, REG. SOCIETATIS FACULTATIS MEDICAE PARISINAE SODALI PER EPISTOLAS ORDINARIO, SOCIETATIS MEDICAE AEMUL. PARISINAE SOCIO PER EPISTOLAS EXTRANEO, SOCIETATIS REG. SCIENTIARUM GOETTINGENSIS, SOCIETATIS PHYSICO-MEDICAE ERLANGENSIS, SOCIETATIS NATUR. SCRUTATORUM HALENSIS, ALIARUMQUE SODALI, FACULTATIS MED. H. T. DECANO.

DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE HONORES CAPESSITURUS

P U B L I C E D E F E N D E T

A U C T O R

CAROL. FRIDER. THEODOR. KUNDE,

BEROLINENSIS

DIE XV. M. JUNII. A. MDCCCXVI

H. L. Q. S.

BEROLINI,

TYPIS JOANNIS FRIDERICI STARCKII.

Praemonitum.

Ordo Medicorum in Universitate Berolinensi, in votis habet, ut dissertationes eorum, qui doctoris medicinae honores et privilegia adipisci voluerint, specimina doctrinae et eruditionis ipsorum sint, non ab aliena manu correcta et emendata. Quapropter quae nunc in lucem profertur dissertatio, eam a solo candidato, non interposita ulla Facultatis nostrae ope, elaboratam et perfectam esse testor.

Scr. Berolini d. VII. m. Junii a. MDCCCXVI.

Ordinis Medicorum Decanus.

Graefe.

DILECTISSIMO PATRI,

E. F. L. KUNDE,

PHARMACOPOLAE BEROLINENSI

HANC DISSERTATIONEM PIA MENTE

D. D. D.

FILIUS OBEDIENTISSIMUS

PROOEMIUM.

Legibus academicis satisfacturus Dissertationem hanc inauguralem pro summis in Medicina et Chirurgia honoribus rite obtinendis Lectori benevolo propono. Occasione hac, lubenter utor, Praeceptoribus sapientissimis, magnopere de me meritis, summaque pietate a me colendis, pro eximia eorum institutione, cujus participem me esse voluerunt, maximas quas possum agendi gratias. Itineri, ad experientiam magis excolendam mox me commis-

surus, ab iis rogo, ut absenti etiam favere pergant. A Vobis autem, Lectores benevoli, peto, ut opusculum hoc qualecunque benigno excipiatis animo, et si qua minus apte dicta inveneritis, et juvenili aetati et temporis brevitati tribuere velitis. — Valete!

---

§. 1.

Morbos cutis, tam diversos et adeo diverse in conspectum venientes, ita accurate describere, ut quisque hac descriptione eos, antea nunquam visos, statim cognoscere possit, sane difficillimum est, neque inmerito cl. Frankius ait: „his rectius tradendis pictorum potius peniculi, quam cui colores desunt scriptorum calamus, pares esse videntur." Quantopere in cute unius ejusdemque seminis effectus differt, et quantopere ille propria cutis ratione in homine mutatur, praeterea impetigines adeo gradatim ad alios cutis morbos accedunt, ut certos earum fines constituere, valde sit difficile. Quae quidem res, ut ipsa exanthematum chronicorum mutatio temperato vel intemperato vitae genere, vel coeli diversitate effecta ad causas pertinere videntur, quibus fit, ut scriptores in impetiginibus describendis inter se discrepent.

Equidem brevem impetiginum historiam herpetis descriptioni praemitterem, nisi me ad eam rectissime enarrandam et vires et tempus defice-

rent. Proinde hac parte viris litterarum me peritioribus relicta, statim ad herpetem describendum me converto.

§. 2.

Descriptio herpetis. [1])

Papulae exiguae, diversis locis congregatae, pellucidae, modo flavae, modo rubrae in cute subtumida, rubicunda oriuntur, quas vehemens pruritus, tensio et sensus urens comitantur. Modo uno loco, modo pluribus simul conspiciuntur, seu potius interdum longius ulteriusque extenduntur. Quae vero sua sponte ruptae vel scalpendo scissae humorem emittunt, raro mitem plerumque acrem et rodentem, unde vicinae partes exulcerantur et magno dolore afficiuntur. Inde vero postea crustae oriuntur, quibus delapsis semper novae gignuntur; interjecto tempore cutis hisce in locis callosam faciem induit.

In omni herpete aspera cutis toto ambitu eminens et partem integram a morbosa secernens

1) Actuarius hujus verbi originem ita definit: „Herpes dicitur eo quod videatur ἕρπειν (quod est serpere per summam cutem), modo hanc ejus partem, modo proximam occupans, quod semper, priore sanata, propinqua ejus vitium excipiat; non secus quam ignis, qui proxima quaeque depascitur, ubi ea, quae prius accensa erant, deficiente jam materia idonea, prius quoque extinguuntur." Meth. med. Lib. II. Cap. 12.

deprehenditur. Sensim sensimque crescit, et vicinas partes accedit, nunquam vehementer erumpit, sed plerumque tantum praeter opinionem apparet, atque aegrotum praesertim noctu et aliquod tempus post cibi usum urget. Locus, quem occupat, non semper idem est, sed ut equidem credo, non solum cutem externam, sed etiam ejus processus, membranam Schneiderianam, mucosam oris, laryngis, pharyngis, vaginae et adnatam tenere, ideoque prout locum habeat, varia mala contrahere posse.

Omnes fere auctores in hac descriqtione consentiunt. Celsus [1]), qui herpetem sacri ignis specie intelligit, haec dicit: „Sacer quoque ignis malis ulceribus annumerari debet. Ejus duae species sunt. Alterum est rubicundum, aut mistum rubore atque pallore; exasperatumque per pustulas continuas, quarum nulla altera major est, sed plurimae perexiguae (milio similes). In his fere semper pus et saepe rubor cum calore est: serpitque id nonnunquam, sanescente eo, quod primum vitiatum est: nonnunquam etiam exulcerato, ubi, ruptis pustulis, ulcus continuatur, humorque exit, qui esse inter saniem et pus videri potest."

Batemani [2]) descriptio tamen aliquantum dis-

1) De medicina Lib. V. Cap. 28. §. 4.

2) Practische Darstellung der Hautkrankheiten v. Thomas Bateman. Halle 1815. Pag. 331.

crepat: „herpetis nomen, dicit, hic indicat exanthema vesiculare, [1]) quod in plurimis suis formis certo ordine crescit, maturescit et decrescit, et decem circiter, duodecim aut quatuordecim diebus finitur. Vesiculae oriuntur per acervos quosdam separatos et inaequales positae, plerumque celeriter sibi succedunt, et prope se in basi inflammata, paulolum marginem cujusque acervi excedente, conspiciuntur. Hoc exanthema haud leviter perturbata constitutio antecedit, quam aestus et punctio et interdum in ipsis partibus affectis dolor haerens comitantur. Serum vesicularum initio clarum et pellucidum pedetentim lacteum turpidumque, tandem in crustas abit. Attamen interdum large quoque effunditur, quo facto exulceratio diuturna sequitur. Nulla hujus exanthematis species contagiosa est.

§. 3.

Diagnosis.

Cum herpes facillime cum aliis exanthematibus confundi possit, nonnulla horum adjectis

1) [l. c. P. 22. Nro 6.] Auctor exanthemata in octo ordines digerit, quorum sextus, cui herpetem annumerat, vesiculas complectitur, quas ita describit: „Sunt elevationes epidermidis parvae orbiculatae serum continentes, quod interdum clarum et coloris expers est, at crebro etiam non pellucidum, albidum, colore margaritarum apparet. Sequitur crusta et tinea tenuis."

signis pathognomonicis hic proferre non alienum esse videtur.

1. *Erysipelas vesiculosum.*

Herpetem cum erysipelate magnam similitudinem habere, multorum quidem auctorum sententia est, attamen ab eo ita discrepat, ut hic sensim sensimque ruboris tumorisque expers sit, erysipelas contra subito, ex vehementibus animi affectionibus aliisque causis nascatur, tum quoque numerosae parvae vesiculae herpetum ordines quosdam constituant, quorum in intervallis superficies cutis a statu naturali non recedit, quae in erysipelate, cujus vesiculae majores, pellucidae et confluentes sunt, tumorem vero ruboremque prae se fert, qui digitis tactus evanescit, et digitis remotis redit. Praeterea qui hoc laborat aegrotus ustionem et dolorem pungentem, qui vero herpete, pruritum sentit. Erysipelas non perperam curatum nono die dissolvitur, herpes vero certo temporis spatio non tenetur.

2. *Scabies.*

Herpes cum nascitur facile confundi potest cum scabie, inprimis tamen eo distinguitur, quod haec ex albidis pustulis rubicundo margine oritur, quae pressae liquorem limpidum emittunt, vehementem pruritum inprimis calore et frictione crescentem excitant. Articulis praecipue insidet, imprimis digitorum interstitiis, neque vera faciem

ingreditur scabies, omnino non nisi contagione oriunda.

3. *Crusta lactea.*

Pariter initio sine febre in facie pustularum forma, quae lentem magnitudine aequant, se ostendit, quae humorem subflavum glutinosum continent, rumpuntur cito (observante cl. Wichmanno [1]) jam secundo die), quarum humore siccato atque indurato crassa formatur crusta, lactis instar super igne inspissati. Praeterea hoc malum lactantes plerumque, raro adultos invadit.

4. *Zona, Zoster.*

Exanthema acutum est, quod quum semper cum febre accedit, dimidiam tantum vel pectoris vel abdominis partem semicirculi instar circumdat. Pustulae rotundae humorem subflavum, acrem atque rodentem continent, qui aegroto sensum urentem, quasi aquae bullientis superfusae adfert.

§. 4.

Divisio.

Vetustissima maximeque omnium usitata herpetis in species distinctio haec est.

1. *Herpes simplex, farinosus seu furfuraceus.*

Eo imprimis a ceteris distinguitur, quod pustulae jam supra descriptae crustae prae se ferunt

1) Ideen zur Diagnostik, Hannover 1800 pag. 47.

speciem, quae in squamulas furfuraceas pulveremque farinosum commutantur, ceterum faciem, praecipue aures, mentum, collum, genua, palmas plantasque invadere solet. Febre expers cum erumpat minorem molestiam doloremque minus acrem, quam ceterae species, efficit, atque praecipue in epidermide sedem habere videtur.

2. Herpes miliaris, κεγχρίας Graecorum, formica Arabum, quae tamen cum μυρμήκια [1]) non confundi debet.

Pruritus, sensus urens cutisque inflamatio magis conspicua, quam in priori; aegroti cibo potuque sumpto magis irritante, noctu praesertim acerrimos percipiunt dolores, interdum etiam febricitant, pustulae miliares ad apicem albidae si rumpuntur humorem acrem saepe foetidum edunt, qui in crustas inaequales, asperas, subflavas, cinereas, fuscas, saepe nigricantes commutatur. Conspiciuntur in manus dorso, brachio, cruribus, scroto, vulgo in omnibus fere corporis partibus, rarissime vero in facie.

Cujus speciei varietas herpes est vesicularis (Φλυκταινοειδής), pustulis majoribus lenticularibus distincta.

3. Herpes malignus, rodens, ἐσθιόμενος.

Pustulae majores sunt, quam in praecedentibus, vesiculasque ostendunt saepe insignes, quae

1) Celsus de medic. Lib. V. cap. 28. §. 14.

sub eruptione non nimis vehementer aegrotum afficiunt; exanthema vero celerrime atque interdum summa cum rapiditate per totum corpus diffunditur. Cutem, cujus penitus texturam destruit, ita corrodere solet, ut exulcerationes oriantur profundae, quae ichorem mittunt malignum foetidumque. Quod malum apud veteres frequentius occurrit, quam aqud recentiores. Observatio memorabilis hujus herpetis perill. Hufelandii Journal der praktischen Heilkunde Bd. 2. St. 2. narratur. Cui quidem herpeti, siquidem mentum faciemve totam foedaret, nomen Mentagrae impositum est.

Sunt tamen, qui herpetem phagadenicum, profundius exulcerantem cutemque tumefactam fere omnino laedentem, eaque de causa non adeo serpentem, distinguant.

Attamen cl. Batemanus ab hac divisione discedit. Herpetem enim furfuraceum ab herpetum speciebus excludit, eumque ordini lichenum annumerat.

Herpetem miliarem accipit, eumque nomine phlyctaenodae describit. rodentem vero ad Pomphuligem (Pemphigum chronicum), aut ad magnes bullas, quae in cachexia oriuntur et in exulcerationes malignas abeunt, refert.

Sex quidem, quas hic memorare liceat, profert divisiones:

1. *Herpes phlyctaenodes.*

Qui ab herpete miliari modo dicto nihil differt.

2. *Herpes Zoster.*

Sub quo zosterem febrilem in pectore tantum et abdomine inde a vertebris usque ad sternum lineamque albam unius lateris sedentem, intelligit.

3. *Herpes circinatus.*

Qui eo differt, quod ex maculis orbiculatis oriatur, in quibus vesiculae parvae, seminibus milii similes, pellucidae, in circuitu tantum apparentes prodeunt. Internum cujusque annuli spatium initio nulla afficitur eruptione, superficies tamen asperior coloris quidem intense rubentis eruptione vesicularum decrescente exfoliatur, id quod circiter intra hebdomadis spatium, crustis evanescentibus finitur, quo facto superficies aliquandiu ruborem quendam retinet. Herpes circinatus excepto pruritu ingrato doloreque in maculis pungente, minime molestus est, et plerumque tantum infantes aggreditur; ceterum habetur contagiosus.

Quem ne cum Porrigine scutulata confundamus, quod exanthema est contagiosum pustulis in cranii integumentis fronteque apparens, idem auctor monet.

4. *Herpes labialis.*

In margine labii et inferioris et superioris aeque in angulo oris apparet, ac modo circulum modo semicirculum circa os constituit. Decursus et symptomata fortuita a priori non differunt.

5. *Herpes praeputialis.*

Hic quoque, habita decursus ratione adeo cancro similis esse dicitur, ut facile cum eo confundi possit. Oriri enim pronunciant pruritu vehementi unam duasve maculas rubentes, quae non multum a superficie occupata distingui possint. Humor in illis contentus praeterlapsis viginti quatuor horis turbatur, erumpit; ulcusque parvum edit, quod intra duodecim vel septendecim dierum spatium finitur.

Quem quidem Herpetem praeputialem ipse in adolescente observavi: cum malum initio pro cancro haberetur et tum interne tum externe mercurialia adhiberentur, Herpes interjecto aliquo tempore serpere coepit. Quibus vero remediis omissis, et mentula in infuso Chamomillae lavata, herpes intra octo dierum spatium decessit.

6. *Herpes Iris.*

Haec species maculis parvis prodit, orbicularibusque, quarum quaeque marginibus concentricis coloris diversi constat. Vesicula media in parte occurrens subflava est et albida; primus

eam

ambiens circulus subfuscus seu ex fusco — rubicundus; secundus fere ejusdem coloris est, cujus centrum; et tertius altero angustior subfuscus, quartus et externus, sive halo non prius quam septimo, octavo vel nono die conspicitur, speciemque habet rubicundam, quae pedetentim in vulgarem cutis colorem abit. Plerumque in dorso haeret, in manibus aut in palma aut digitis, interdum etiam in tarso. Maxime hic herpes in adolescentulis salva tamen eorum valetudine observatus est.

Aliam eamque curationi utiliorem dividendi rationem causae nobis suppeditant. Etenim herpes vel malo cutis ipsius habitu oriri potest, et tunc dicitur idiopaticus, vel morbo corpori jam adhaerenti efficitur, cujus in curatione major ratio quam herpetis ipsius habenda est, et tunc dicitur symptomaticus. Interdum quoque congenitus, interdum haereditarius; sunt etiam auctores, qui eum periodice revertentem viderint: sic Lorry [1]) herpetem periodice autumno et vere febrem quotidianam secutum observavit, qui breve tempus permansit et deinde evanuit; tunc est modo humidus, modo siccus; haud raro aliis morbis variat, quo pertinent neuro-

1) Lorry von den Krankheiten der Haut, aus dem Lateinischen übersetzt von Held. 1 Bd. pag. 569.

ses, spasmi, vertigo, inflamatio, haemorrhoides et arthritis [1]),

§. 5.

E x i t u s.

Herpeti sicut aliis impetiginibus diversi sunt exitus, quorum praecipuos commemorabo:

1. Exoptatissimus est, cum herpes celeriter finitur (siquidem ita de exanthemate chronico dici potest), neque alia mala efficit. Qui tamen exitus solo ab herpete locali, nec causa interna orto, maxime vero in juvenili corpore sperari potest.

2. Deterior est, ubi herpes celeriter evanescit, attamen alium morbum internum profert, cujus causa ille haberi debet, ideoque magis quam ipse morbus spectandus est.

In clinico, cui praeest vir perill. Hufeland, puella, nomine Carolina Blaue, annorum viginti et unius, curae meae permissa erat, quae tenera aetate quotannis achoribus laborabat, qui vero pubertate incipiente discesserant. Annos octodecim nata sinistro brachio exanthemate chronico affecta est, secundum descriptionem puellae herpeti non absimili, cui propter molestiam, quam inde capiebat, unguentum opposuit, quod exanthema removit. Sed elapsis vix quatuordecim diebus symptomata Choreae St. Viti animadvertebantur,

1) Lorry. Pag. 568. l. c.

quae in deterius mutata, postremo quotidie, imprimis noctu, redibant.

Quae cum jam prius, quam in clinicum recepta erat, pluribus remediis sine ullo successu usa esset, ipsa quoque prognosis incerta habebatur.

Curatio incepit a pulvere Zinci oxydati albi, Sulphuris stibiato-aurantiaci et Calomelanos, qui usque ad salivationem datus est, a fonticulo in utroque brachio facto et balneorum calidorum usu. Quibus remediis haud prospero successu plures hebdomades adhibitis, aliquando de vehementibus doloribus in mamma dextra, rubefacta, indurata tumidaque querebatur, in qua fomentationes florum chamomillae atque Sambuci applicatae sunt.

Jam elapsis paucis diebus dolores mitescere coepere, sed in mammae superficie exanthema vehementer pruriens prorupit, quod rubore amisso exfoliatur, paucos post dies mammam sinistram eodem modo corripuit, quocum paroxismi Choreae St. Viti non solum et extensive et intensive diminuebantur, sed etiam rarius accedebant. Cum aegrotam supremum viserem, per hebdomadem tantum semel paroxismum rediisse audivi, et exanthema ut initio florebat. Postea aegrotam ulterius observandi occasio mihi defuit, ideoque posteriorem exitum indicare nequeo.

Liceat mihi adhuc aliam historiam a re non

alienam commemorare: Ludovica Schwarz, annorum triginta quatuor dextra mamma herpete affecta erat, qui vero post usum aquae saturninae discessit, quo evanescente raucedine correpta est, quae paullo post in aphoniam se convertit, quam vespere Asthma vehemens comitabatur. Unguentum tartari stibiati sterno illitum pustulis natis et Asthma removit et aphoniam.

3. Herpes quoque complures annos vel per omnem aetatem locum suum tenere et inveterari potest, ut ad suam cujusque sanitatem relativam conferat, neque sine insigni reliqui corporis injuria removeri possit.

§, 6.

Causae.

A. Causa proxima.

Ut in quovis exanthemate sic quoque in herpete semper inflamatio quaedam, si latiorem hujus verbi potestatem concedas, adest, qua cutis systema reproductivum immutatur. In variolis, morbilis, scarlatina, area herpetis inflamatio ipsa ignorari nequit, in scarlatina etiam purpuracea et variolis in suppurationem transit. In exanthematibus, quae rubore cutis aut suppuratione carent v. c. in pemphigo, favo aut in crusta lactea, functio vasorum anomala effusione lymphae plasticae apparet; ita ut in his et in exanthematibus aperte inflamatoriis eadem differentia, quae in tra-

cheitide et angina polyposa deprehenditur; quod certius adhuc argumentum hoc est, herpetes omnes exitus inflamationis habent. Quae quidem inflamatio in finibus vasorum continetur. Quomodo inde mucus Malpighianus mutetur, adhuc latet, attamen, illum ad herpetis originem plurimum valere, et eundem maxime in illo positum esse, licet interdum vehementius cutem invadat, et praeter mucum quoque corium laedat, credibile est.

Aliquid in esse cuti, quo exanthemata nascantur, eaque non solum dyscrasia humorum effici posse, et cachexiae et alii chronici morbi cum laesis visceribus satis superque probant, ubi dyscrasiam, quum cutis naturalem colorem cum livido, lurido aut flavo commutavit, animadvertere possumus, exanthema autem non efficitur.

Quae cum rei ratio sit, maxime interest ad herpetis originem explicandam causas ejus remotas perspectas cognitasque habere, quibus abnormis vasorum functio excitetur.

B. Causae remotae

1. *Disponentes.*

Herpes partim indole corporis, partim occasione oritur. Illa est vel congenita, vel hereditaria. In stirpibus quibusdam deprehenditur, ubi omnes eorum soboles herpete laborant, uti simile quid haud raro in colore cutis et capillo-

rum observatur. Saepe soboles sine herpete nascuntur, sed ubi ad aetatem quandam pervenerunt, herpes oritur, qui non tam mutatis humoribus, quam structurae solidarum partium adscribendus est, quae legibus adhuc incognitis a parentibus ad liberos traditur. In his legibus incognitis illa indoles cutis latet, quae sine causa manifesta aut nulla valetudine adversa praegressa certo fere tempore eundem herpetem in omnibus unius ejusdem stirpis sobolibus efficit.

Multis quoque aliis conditionibus morbosis totius corporis et cutis effici potest, ideoque alios homines facilius quam alios petit; causa maxime in diversa cutis sensibilitate posita esse videtur. Cutis laxa et tenuis, ad herpetem proclivis est, eaque experientia teste in quibusdam hominibus tantam sensibilitatem prae se fert, ut quocunque emplastro imposito herpes excitetur. Ita infantes et feminae cute alba praeditae nec aëri libero adsuetae imprimis ad herpetem inclinant. Tempore dentitionis, pubertatis, graviditatis, quo totum corpus pariterque cutis irritabilior est, herpes in ea producitur; sic quoque homines peculiaris constitutionis accedit, sic v. c. phlegmatici inprimis ad herpetem miliarem, cholerici ad herpetem furfuraceum proclives esse dicuntur.

2. *Occasionales.*

Huc pertinent inprimis sordes et neglecta cutis lotio, opificiumque sordidum. Affectio cutis

sudantis per frigus, suppressa aut vitiatae aëris accessio, usus vestimentorum laneorum sub indusio, armillae e crinibus confectae, lotio cutis cum aqua calida aut partibus irritantibus inbuta; nimia cutis calefactio; consuetudo praesertim priorum temporum et nostrorum faciem fucandi magisterio bismuthi vel albo cremnitzensi herpetem progignere potest.

Quidam auctores proprium herpetis contagium aut saltem infectionem in majori ejus gradu contenderunt, equidem aliud exanthema, ubi illi contagium adesse putarunt, aut cum illo confusum esse, aut herpetem symptoma alius morbi contagiosi fuisse, credo, v. c. syphilitidis.

A nonnullis auctoribus exanthemata chronica, ideoque herpes, ad Cachexias referuntur, qua propter ejus causam in vitiato humorum habitu posuerunt, quo praecipue acria pertinent, quae tantum abest, ut organis excretoriis e corpore ejiciantur, ut potius propter debilitatem et perversam horum organorum functionem in corpore retineantur. Tali modo verbi causa non raro renum functio perversa herpetem profert, saepius enim in hominibus illo laborantibus lotii odor immutatus, et tum diuretica inprimis prosunt.

Pari modo etiam bilis in sanguine copia herpetem inferre dicitur. Prisci enim medici bili ad exanthemata chronica producenda magnam vim attribuerunt. Galeno omnes herpetes a bile

originem trahere visi sunt, attamen addit in herpete miliari mucum cum bile mixtum esse.

Insigniores causae sunt, quae ab intestinis herpetem progignunt: cibi vitiati vel aromatibus, acribus vel sale copiosius parati, caseus corruptus, potulenta aromatica vinosa; subitus transitus á moderato victu ad luxuriosum. Iisdem causis etiam herpes jam praesens in deterius mutatur, doloresque accrescunt.

Porro chronica suppressio cutis exhalationis, aër humidus, frigidus et impurus, imprimis habitatio in aedificiis nuper exstructis vel exercitatio corporis neglecta. Cum statu sano magna pars diversi generis materiarum exhaletur, quae in multis hominibus odore se produnt, transspirationis functio suppressa, morbosam irritationem et hac organisationem mutatam efficere potest. Ubi ea, quae corpus circumdant justo calidiora sunt, ubi externis et internis causis calor augetur, in cute caloris congestio efficitur, unde herpes oriri potest. Ita homines, qui e coelo frigido in calidius transeunt facile herpete corripiuntur, qui non prius discedit, quam cutis majori exhalationi adsueta est.

Simili modo herpes statu organorum abnormi produci potest, ubi non prius nisi hoc statu sublato discedit. Huc pertinent e. g. uteri affectiones, graviditas, menses suppressi. Quae tamen

ratio cutis affectae et interni status morbi, multum differt ab ea, quae in febribus exanthematicis apparet, ubi scilicet exanthema et febris in unum quasi coëunt, contra vero in priori casu exanthema et morbi interni conditio talis est, qualis causa et effectus.

§. 7.

Prognosis.

Praecipua attentione, quoad prognosin herpetis respicienda est ratio diversae vegetationis cutis, et cura, qua haec in statum integrum restituatur. Herpes omnino localis, nec ubique extensa, nihil periculi ostendit, et convenienti curatione adhibita aliisque rebus quarum ipsa ratio habenda est, non nimis contrariis, sanabilis est. Multi, qui alioquin sani esse videntur, quotannis verno tempore herpete tentantur,. unde non magnum incommodum sentiunt, nisi faciem occupet. Verum herpes majori vi et ubique corpus incedens propter constantem irritationem magnum dolorem, pervigilium adfert, et internis functionibus perturbatis, macie et febre hectica effecta, mortem afferre potest. Accidit quoque, ut tunc periculum ostendat, ubi organa sensuum, aures oculosque petit.

Ceterum de herpete cui corpus jam adsuetum est, praecipue pro ratione totius corporis judicare oportet h. e. spectari debet, quatenus

herpes ad statum organisationis corporis pertinens, ad ipsam sanitatem requiratur, vel sine insigni reliqui corporis injuria removeri possit. Omnis quoque transitus exanthematis localis in morbum internum, secundum experientiam haud felicem prognosin adfert, quae tanto periculosior esse debet, quo vehementius exanthema et celerius opprimitur, inque morbum universalem mutatur, nec non quo nobiliora organa sunt, quae exanthema suppressum aggreditur.

Praeterea in prognosi constituenda alia etiam momenta sunt, quo pertinent constitutio peculiaris, aetas aegrotantis, nec non rerum conditio externarum. Quo debiliora corpora sunt, quo minus bene nutrita, eo majus periculum herpes adfert; in quibus enim facile suppurationes diuturnae, hydrops aliaque mala chronica superveniunt. Cutis nimis dura et laxa curationem impedit. Herpes ante pubertatem saepe illa accedente discedit, nec non aetas decrepita curationis spem relinquit. Contra vero qui provectiori aetate oritur fere insanabilis est, et latius serpit, postremo tabem mortemque affert. Herpes hereditarius atque diuturnus curatu difficillimus est.

§. 8.

Therapia.

Herpetis curatio propterea tam difficilis est, quia saepe causa remota, quae vix detegi potest,

adest, deinde quia herpes propria indole coortus, plerumque insanabilis est, aut tantum tempore vel pubertatis vel decrepiditatis evanescit, denique quia sanatio non convenit, cum quasi organismi organon constituat.

Curatio in eo posita est, ut et functio et cutis organisatio restituatur, quae hisce indicationibus instituitur.

1. Tollenda est causa remota, quod id fieri potest.

2. Vitiosa cutis qualitas emendanda.

Quo primae indicationi satisfiat crebra cutis lotio aqua tepida et sapone instituenda; victus ratio corrigenda; aër impurus cum puro mutandus; crebrae vestimentorum mutationi consulendum; temperans potulentorum essulentorumque usus commendandus; caseus, caro salsa, fumoque condita evitanda, in cujus locum vegetabilia recentia, maximeque fructus horaei, mala, substituenda sunt.

Ubi vero herpes symptoma alius morbi est vel universalis e. gr. syphilitidis, vel localis, horum naturae convenienter curandus est.

Ubi secretio renalis perversa causa est, adhibenda sunt diuretica: e. gr. Squilla, digitalis, juniperus, ononis spinosa, uva ursi, levisticum, gnaphalium arenarium, viola tricolor etc.

Ubi alvi secretio alienata, laxantibus: ex rheo, aloë, jalappa, Calomelani etc. utendum est,

cura adhibita ne systema reproductivum nimis debilitetur.

Ubi herpetis origo ex eorum, quae per cutem excernenda fuissent, retentione derivanda videtur, ea, quae cutaneam transpirationem adaugent, hoc in morbo utilia esse experientia probantur.

Quibus frustra adhibitis interne adhuc specifica remedia proponenda sunt, quo inprimis pertinent:

Antimonium, cum ejusdem praeparatis, Hydrargyrum et in herpete inveterato Hydrargyrum muriaticum corrosivum cum Opio, primo refracta dosi et postea magis magisque auctum.

Vegetabilium primum locum teneat dulcamara, quae, vel sola in decocto vel in extracto et pulvere cum Calomelani, Sulphure stibiato-aurantiaco et Guagaco adhibenda est. Praeter hanc magnopere etiam laudantur: Cortex Ulmi, Mezerei, Lignum Sassafras, Radices Sarsaparillae, saponariae, chinae, helenii etc.

Remedia externa.

Quorum applicatio, si indicata, fonticulus ponendus est in vicinis partibus, herpete scilicet jam diuturno et habituali secretionis quoque cutaneae, renalis alvique ratio habenda est, quippe cum facile alii morbi elici possint. Ubi inflamatio et pruritus vehemens cum tensione adest ex-

terne olea pinguia, emollientia, vapores specierum emollientium in usum vocanda sunt. Si enim inflamatione sublata, perversam secretionem exsiccare cogitas et omnino immutare, unguentis et solutionibus, ex Hydrargyro, plumbo, zinco sulphurico paratis, uti poteris.

Cl. Frank [1]) haec singula tam a succo Nicolianae tabaci, emplastri sub forma applicato, quam imprimis ab aceti destillati fortioris usu, superari conspexit. Nonnulli scarificationes quoque et vesicatoria parti adfectae adhibuerunt.

Denique balnea et naturalia, qualia sunt: Aquisgranum, Nenndorfium, Teplicium, Wisbaden, Warmbrunn, Egra, Landeck, balneumque maritimum, et artificialia: sulphurata, aromatica commemoranda sunt.

1) Epitome lib. IV. Pag. 158.

THESES DEFENDENDAE.

1. *Extractio ceteris operationibus cataractae praestat.*
2. *Vomitoria non solum evacuatione, sed etiam effectu in nervos agunt.*
3. *Febris inflamationi analoga est.*
4. *Ante maturitatem cataracta operanda non est.*
5. *Non in omni pulmonum pthisi methodus nutriens prodest.*
6. *Suppuratio nunquam sine inflamatione accedit.*

CURRICULUM VITAE
EX DECRETO
GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE BEROLINENSIS
ADJECTUM.

Ego Carolus Fridericus Theodorus Kunde natus sum Junio mense anni MDCCXCII, patre optimo, Friderico Ludovico, hujus loci pharmacopola, quo adhuc superstite, gaudeo.

Ab ejus inde aetatis initio, quae studiis humanitatis impertiri debet, mihi tam felici esse contigit, ut artibus, quae in puerilem aetatem cadunt, imbuerer. Sed in reconditiores litterarum recessus viam mihi munivit, Gymnasium Friderico-Guilielmicum, quod hic Berolini floret, cujus ab anno MDCCCIV usque ad annum MDCCCVII. disciplina usus sum.

Eruditus hic linguis tum veteribus tum recentioribus ceterisque disciplinis, quae juvenilis aetas doceri solet, viro Cl. Lezio, hujus urbis pharmacopolae spectatissimo, in disciplinam traditus sum, quo in tempore pharmaciae ita ope-

ram dedi, ut non solum in Botanice apud viros cl. Willdenow et Hayne, sed etiam in chemia apud cl. Turte maximo cum studio versarer.

Quo disciplinae spatio per quadriennium excurso anno MDCCCXI, numero civium universitatis litterariae Berolinensis legitime adscriptus, praeceptoribus summis, semper pia mente colendis, Viris Illustrissimis gavisus sum; fuerunt enim Logicae et Dialecticae Cel. Solger, Zoologiae universalis Cl. Lichtenstein, Physiologiae, Anatomiae tam humanae quam comparatae et pathologicae Cl. Rudolphi; Osteologiae et Splanchnologiae Ill. Knape et exercitationum anatomicarum practicarum uterque; Therapiae tam generalis, quam specialis Ill. Hufeland; Pathologiae et therapiae specialis Ill. Horn; Physiologiae generalis Cl. Horkel; Acologiae Cl. Bernstein.

Cum per valetudinem anno MDCCCXIII ad bellum, quod Augustissimus Rex noster cum Francogallis, regni sui patriaeque causa gerere coactus erat, proficisci non possem, in nosocomio Berolinensi, cui nomen erat: *Frauenverein* officia, quae ad aegros curandos spectabant duce Ill. Reil suscepi.

Bello finito, cum nosocomii ratio dissolveretur, ad studia me mea pristina recepi; quo ex tempore denuo hac in universitate virorum illorum Illustr. institutionibus gavisus sum, et praecipue exercitationibus clinicis virorum Ill.

Hufelaud, Horn et Berends, Akiurgiae Ill. Graefe, Chemiae Ill. Klaproth, Chirurgiae et arti obstetriciae Exper. Kluge, Materiae medicae Cl. Osann, Ophthalmologiae Exper. Busse interfui. Postquam vero per quadriennium artis salutariae studia tractavi, et tentamen et examen coram gratiosa facultate medica Berolinensi feciliter peregi, habita solemni dissertationis defensioni gratiosus medicorum ordo est summos mihi in medicina et Chirurgia conferat honores qua decet reverentia rogo.
